



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0365

Sabato 30.06.2007

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL MILLENARIO DELL'ARCIDIOCESI DI BAMBERG (GERMANIA) (8 LUGLIO 2007)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL MILLENARIO DELL'ARCIDIOCESI DI BAMBERG (GERMANIA) (8 LUGLIO 2007)

In data 5 maggio 2007, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Friedrich Wetter, Arcivescovo emerito di München und Freising, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del millenario dell'arcidiocesi di Bamberg (Germania), che avranno luogo l'8 luglio 2007.

La Missione che accompagnerà l'Em.mo Card. Friedrich Wetter è composta dai seguenti ecclesiastici della diocesi di Bamberg:

- Rev.do Canonico Gerhard Förch, Parroco della Cattedrale;
- Rev.do Mons. Michael Hofmann, Parroco della Parrocchia "Allerheiligen" di Norimberga

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
FRIDERICO S.R.E. CARDINALI WETTER
Archiepiscopo emerito Monacensi et Frisingensi

Bambergensem venerandam Metropolitanam Ecclesiam novimus celebraturam singularem prorsus millesimam anniversariam memoriam a sua institutione: quae laeta commemoratio profecto causa est plurimis ut pro divinis beneficiis tot per annorum spatium concessis imo ex corde Omnipotenti gratias agant simulque, heredes conscii talis patrimonii, magis magisque studeant fidem corroborare, communitatem fovere et homines cuiusvis auxilio indigentes summa caritate succurrere. Ipse enim Dominus, qui maiestatem et decorem induit, amictus lumine sicut vestimento (cfr *Ps* 104,1-2), hanc suam communitatem ab initio misericordia et bonitate operuit, cuius visibile signum contemplatur in pretioso Stellarum Pallio illi donato a sancto Henrico II.

Sicut quondam Decessor Noster Ioannes XVIII benigne accepit petitionem imperatoris sancti Henrici II ut propter populi Germaniae salutem aeternam dioecesis haec missionaria Bambergensis institueretur, ita Nos,

dilectissimae Patriae desiderantes spiritualem progressum, libenter volumus favere celebrationibus iubilariis multaue laudare incepta, hac obviente opportunitate, inchoata sub diligenti ac prudenti moderamine Venerabilis Fratris Ludovici Schick, eiusdem Sedis assidui Archiepiscopi Metropolitanæ.

Cum autem ob gravia officia Nostra Ipsimet eandem Ecclesiam hoc tempore invisere non possumus, cupimus illuc dignum Patrem Purpuratum mittere ut per eum affectus et aestimationem Nostram iis ostendamus. Te igitur, Venerabilis Frater Noster, ad hanc missionem explendam peraptum arbitramur, qui amatissimæ communitati Monacensi et Frisingensi tot per annos sapienter prae-fuisti atque dilectionem tuam et sollicitudinem pluries testificatus es in Christi Ecclesiam et Romanum Pontificem. Ideo fidenter nominamus te Nostrum Missum Extraordinarium ad sollemnem celebrandam millesimam anniversariam memoriam constitutionis archidioecesis Bambergensis.

Die igitur statuto, videlicet die VIII mensis Iulii, Bambergæ vices Nostras ages, liturgicis praesidebis ritibus, praesentes ad sacramentalem cum Christo consociationem cohortaberis quæ credentes idoneos ad novitatem necessitudinum socialium efficit (cfr *Sacramentum caritatis*, 89), deinde congruam sacris Pastoribus, civilibus Magistratibus omnibusque adstantibus, praesertim cunctis illius metropolitanae communitatis filiis, Nostram significabis salutationem et spiritualem cum eis communionem.

Nos iam nunc legationem tuam precibus beatissimæ Virgini Mariae omnibusque huius regionis sanctis Patronis enixe committimus, ut pro populo eiusque Pastoribus apud Christum intercedant. Quæ vota comitetur Benedictio Nostra Apostolica, favoris caelestis pignus Nostræque peculiaris benevolentiae testis, cunctis tam insigni iubilaei participibus peramanter impertita.

Ex Aedibus Vaticanis, die I mensis Maii, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

BENEDICTUS PP. XVI

[00992-07.01] [Testo originale: Latino]
